



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCLXXXIV. Adulter sacerdos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



ambitus, adorationem miseria captatis, inde illa impudentia, quod verecundiam inter crimina ponitis, <sup>1</sup> & appellationem quoque passim nuper dedistis. Omnis vero philosophiæ tractatus alienus moribus nostræ civitatis est, tamen utique placuerat: nonne aliæ sectæ justiores? attenderes Physicis: quæreres utrumne ignis esset initium rerum: an vero minutis editus & mirabilibus elementis: perpetuus hic mundus, an mortalis esset. Viderint alii: <sup>2</sup> ego in te hanc patientiam corporis ferre non possum: in alias te spes sustuli: de dignitate tua cogitabam. Quod si abdicacionem ferre non potes, si carere hæreditate malum iudicas: deprehensus es, damno pecuniæ moveris, & detrimento famæ: & homo qui has ipsas opes quotidie incusas, tamen concupiscis. Dignus es igitur. Verum fateamur ea quæ sentimus nec nos extra rerum ambitus ponat. Cujus enim est hominis, pugnare cum moribus, & damnare se?

## CCLXXXIV.

*Adulter sacerdos.*

SACERDOS UNIUS SUPPLICIO LIBERANDI HABEAT POTESTATEM. ADULTEROS LICEAT OCCIDERE. *Quidam* Sacerdotem deprehendit in adulterio, & eam sibi ex lege impunitatem petentem, occidit. Reus est cædis.

## S E R M O.

<sup>3</sup> *An sacerdos adhuc fuerit deprehensus, id est,* <sup>4</sup> *an eo momento quo*

<sup>1</sup> *Et appellationem quoque passim.]* *Ærodius* inserto vocabulo: & *timiditatis* appellationem quoque. Nihil agnosco *fanius*. Forte: quod verecundiam inter crimina ponitis & appellationem quoque dudum *peffum* dedistis. Assumpto scilicet *Cynicorum* nomine ab *canum* inverecundia *Gronovius*.

<sup>2</sup> *Ergo in te hanc patientiam corporis.]* *Ver. cod. patiendam.* *An patientia ut fruenda* apud *Ausonium*? vix puto. *Pith.*

<sup>3</sup> *Meminit Quintilianus hujus controversiæ lib. 5. cap. 10.* Hoc genus argumentorum sane dicamus ex circum-

stantia, quia *quis* *Civ* dicere aliter non possumus: vel ex iis quæ cujusque causæ propria sunt, ut in illo adultero sacerdote, qui lege, qua unius servandi potestatem habebat, se ipse servare voluit: proprium est controversiæ dicere, Non unum nocentem servabis, quia te adultero dimisso, adulteram occidere non licebit. Hoc enim argumentum lex facit, qui prohibet adulteram sine adultero occidi. *Ærodius*.

<sup>4</sup> *An eo momento.]* *Scribe: an non eo momento, quo deprehensus est, perdidit jus sacerdotis.* *Gronovius*.



quo deprehensus est, perdiderit jus sacerdotis: an si adhuc sacerdos erat, potuerit se postulare in hoc crimine, <sup>1</sup> an occidi usquam, nisi in publico possit.

## DECLAMATIO.

Quod mihi sufficit, adulterum deprehendi: nec enim ulla excipitur persona, & turpius est adulterium in sacerdote. Legem (inquit) habuit, hoc tale est, quale si ignosci sibi velit <sup>2</sup> dux proditor, vitiator pupillæ tutor. Sed finge me ex suspitione egisse cum illo adulterii, nempe damnatus caruisset sacerdotio. Adjice quod lex potestatem servandi concedit alterius. Scriptum est, ut qui civem servaverit, <sup>3</sup> honoretur: nunquid potest præmium accipere, qui se servavit? aut injuriarum damnari, qui se pulsa- verit? <sup>4</sup> Præterea lex adulterii prior est, quam sacerdotis. Sacerdos enim optat in publico: <sup>5</sup> quod si adulterum tetigerit, evasit. Quid quod ille pro duobus petebat? nam adultera sine adultero non poterat occidi: & tunc utique cædem commissem.

## CCLXXXV.

<sup>1</sup> An occidi usquam nisi in publico possit.] Optare usquam. Ærodius.

<sup>2</sup> Dux proditor.] Qui cum ex lege præmii petendi jus habeat, pro præmio abolitionem petat: & quod tutori pro salario debetur administratæ tutelæ nomine, id sibi stupro acceptum ferat. Idem.

<sup>3</sup> Honoretur.] Alii, coronetur. Pith.

<sup>4</sup> Præterea lex adulterii prior est.] Lex qua adulterum licet occidere, prior & prior est ea lege, qua sacerdos unius supplicio liberandi potestatem habet.

Ideo quia adulterum in privato licet occidere: sacerdos usquam nisi in publico optare non potest. Et prius sit commissum adulterium necesse est, quam sacerdos alio postulante jure suo utatur. hic ergo quia ipsemet adulter est, prius ex lege adulterii in privato occidi potuit, quam deductus in publicum, tum demum impunitatem ex privilegio suo peteret. Ærodius.

<sup>5</sup> Quod si adulterum tetigerit.] Petierit. Idem.